

§. II. Opponimus autem Thomasio huic Judicio (I.) *varios & manifestos Zwinglii excessus*, non modo in doctrinis emendandis, sed etiam in *dirigendo Ecclesiae regimine ac ordine*, quod etiam nonnulli ex ipsis ejus affectis & sectatoribus agnoverunt. Sic cantiones & cantilenas patrio & noto sermonis genere, DEO exhibendas coram Senatu Tuguriensi, ratione inepta & ridicula impie exagitavit, in eoque Paulum Coloss. III, 16. plane sibi habuit repugnantem. *Disciplinam, poenitentiam Ecclesiasticam, imo univrsam in coetu publico necessarium ordinem*, Paulo iterum reclamante, πάντα εὐχρημόνως, καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω I. Cor. XIV, 40. teste ipso THOMASIO in *Annotationibus ad Lancellotti Institut. Jur. Canon. P. IV. p. 2166.* plane abrogavit, quae sane conamina, & *divinae auctoritati & Prudentiae Ecclesiasticae* valde adversabantur, adeoque apud prudentiores saltem ipsam Lutheri Reformationem suspectam & odiosam reddiderunt, siquidem exinde Pontificii suo more, sanctissimum Lutheri institutum, velut omni ordini & Christiano decoro infensissimum esse, multis convitiis plaustris cavillari ausi sunt. Et quamvis externos Zwinglii defectus ac excessus Calvinus deinceps emendare studuerit, jacturam tamen & damnum, quod Sacrorum emendatio jamjam per ejusmodi fervorem perpeffa est, refarcire non potuit (II.) *Periculum ex omni subita, eademque cum magno impetu peracta mutatione redundans*, quod unice proverbium tritissimum experientia maxime comprobatum, THOMASIVM docere poterat: Omnis mutatio fit periculosa, si nempe non urgente necessitate, ex mero saltem arbitrio in adiaphoris instituitur. Ejusmodi enim mutatio periculosa est, non tam respectu ad *communem vulgi opinionem ac persuasionem* habito, quam imprimis ratione *Christianae libertatis*, quae institutis intempestivis, & omni innoxiarum Ceremoniarum abrogatione, plerumque maximis periculis exponitur.

§. III.